PROPRIUM MISSARUM
AD USUM CONFOEDERATIONIS
ORDINIS S. BENEDICTI

ROMAE 1975

PROPRIUM MISSARUM
AD USUM CONFOEDERATIONIS
ORDINIS S. BENEDICTI

ROMAE 1975

Probatum seu confirmatum

Ex aedibus Sacrae Congregationis pro Cultu Divino
die 1 mensis Iunii 1974

✠ IACOBUS ROBERTUS Card. Knox, *praefectus*

✠ A. BUGNINI, *a secretis*

Gratum mihi est vobis praesentare Missas Proprias pro Confoederatione Benedictinarum Congregationum. Convenienter eis additur Calendarium proprium Sanctorum a S. Congregatione pro Cultu Divino die 22 Junii 1972 pro Confoederatione Benedictina approbatum. Etiamsi fieri non potuit, ut festa omnia, singulis Congregationibus vel Monasteriis propria, hoc fasciculo comprehenderentur, ea quae hic ponuntur liturgicis Commissionibus variarum Congregationum exemplo esse et adiutorio in componendis Missis propriis vix dubitandum est.

Lectiones Sollemnitatum, Festorum et Memoriarum, quae obligatoriae sunt, in extenso ponuntur. Lectiones vero Memoriarum ad libitum celebrandarum solis locis quibus in Sacris Bibliis reperiuntur indicantur, pro iis Monasteriis, in quibus altiore ritu celebrantur.

Gratiae quam maximae exhibendae sunt Domno Henrico Ashworth, ex Abbatia B.M.V. de Quarreria, Secretario liturgicae Commissionis Confoederationis O.S.B., qui indefesso labore hoc opus perfecit.

Utinam vitae sanctorum Monachorum et sanctarum Monialium nobis omnibus exemplum sint et, dum eos in hac via veneramur, ipsi pro nobis in patria apud Deum intercedant.

Romae, ex Abbatia Sancti Anselmi,
die 8 Decembris 1974

✠ REMBERTUS G. WEAKLAND, O.S.B.
Abbas Primas

N.B. MR = Missale Romanum, Typis polyglottis Vaticanis, 1970. Pro cantu gregoriano Missarum Propriarum, vide Graduale Romanum, 1974, pp. 859-883 Missae Propriae O.S.B.

KALENDARIUM PROPRIUM CONFOEDERATIONIS BENEDICTINAE

IANUARIUS

1.	In octava Nativitatis: SOLLEMNITAS SANCTAE DEI GENETRICIS MARIAE	SOLLEMNITAS
2.	Ss. Basilii Magni et Gregorii Nazianzeni, episcoporum	Memoria
6.	IN EPIPHANIA DOMINI	SOLLEMNITAS
7.	S. Raimundi de Penyafort, presbyteri *	
10.	S. Gregorii Nysseni, episcopi	
13.	S. Hilarii, episcopi et Ecclesiae doctoris	
15.	Ss. Mauri et Placidi, discipulorum S. Patris Benedicti	Memoria
17.	S. Antonii, abbatis	Memoria
20.	S. Fabiani, Papae et martyris S. Sebastiani, martyris	
21.	S. Agnetis, virginis et martyris	Memoria
22.	S. Vincentii, diaconi et martyris	
24.	S. Francisci de Sales, episcopi et Ecclesiae doctoris	Memoria
25.	IN CONVERSIONE S. PAULI, APOSTOLI	FESTUM
26.	Ss. Roberti, Alberici et Stephani, abbatum Cisterciensium	
27.	Ss. Timothei et Titi, episcoporum S. Angelae Merici, virginis	
28.	S. Thomae de Aquino, presbyteri et Ecclesiae doctoris	Memoria
31.	S. Ioannis Bosco, presbyteri	Memoria
	Dominica post diem 6 Ianuarii: IN BAPTISMATE DOMINI	FESTUM

FEBRUARIUS

2.	IN PRESENTATIONE DOMINI	FESTUM
3.	S. Ansgarii, episcopi S. Blasii, episcopi et martyris	

* Quando non indicatur gradus celebrationis, est Memoria ad libitum.

5.	S. Agathae, virginis et martyris	Memoria
6.	Ss. Pauli Miki et sociorum, martyrum	Memoria
8.	S. Hieronymi Emiliani	
10.	S. SCHOLASTICAE, VIRGINIS	FESTUM
11.	S. Benedicti Anianensis, abbatis B. Mariae Virginis de Lourdes	
14.	Ss. Cyrilli, monachi, et Methodii, episcopi	Memoria
17.	Ss. Fundatorum Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis	
21.	S. Petri Damiani, episcopi et Ecclesiae doctoris	Memoria
22.	CATHEDRA S. PETRI, APOSTOLI	FESTUM
23.	S. Polycarpi, episcopi et martyris	Memoria

MARTIUS

4.	S. Casimiri	
7.	Ss. Perpetuae et Felicitatis, martyrum	Memoria
8.	S. Ioannis a Deo, religiosi	
9.	S. Franciscae Romanae, religiosae	Memoria
17.	S. Patricii, episcopi	
18.	S. Cyrilli Hierosolymitani, episcopi et Ecclesiae doctoris	
19.	S. IOSEPH, SPONSI BEATAE MARIAE VIRGINIS	SOLLEMNITAS
21.	TRANSITU SANCTI BENEDICTI, ABBATIS	FESTUM
23.	S. Turibii de Mongrovejo, episcopi	
25.	IN ANNUNTIATIONE DOMINI	SOLLEMNITAS

APRILIS

2.	S. Francisci de Paola, eremitae	
4.	S. Isidori, episcopi et Ecclesiae doctoris	
5.	S. Vincentii Ferrer, presbyteri	
7.	S. Ioannis Baptistae de la Salle, presbyteri	Memoria
11.	S. Stanislai, episcopi et martyris	
13.	S. Martini I, papae et martyris	
21.	S. Anselmi, episcopi et Ecclesiae doctoris	Memoria
23.	S. Adalberti, episcopi et martyris S. Georgii, martyris	
24.	S. Fidelis de Sigmaringen, presbyteri et martyris	
25.	S. MARCI, EVANGELISTAE	FESTUM
28.	S. Petri Chanel, presbyteri et martyris	
29.	S. Catherinae Senensis, virginis et Ecclesiae doctoris	Memoria
30.	S. Pii V, papae	

MAIUS

1.	S. Ioseph, opificis	
2.	S. Athanasii, episcopi et Ecclesiae doctoris	Memoria
3.	Ss. PHILIPPI ET IACOBI, APOSTOLORUM	FESTUM
11.	Ss. Odonis, Maioli, Odilonis, Hugonis et B. Petri Venerabilis abbatum Cluniacensium	Memoria
12.	Ss. Nerei et Achillei, martyrum	
	S. Pancratii, martyris	
14.	S. MATTHIAE, APOSTOLI	FESTUM
15.	S. Pacomii, abbatis	Memoria
18.	S. Ioannis I, papae et martyris	
19.	S. Caelestini, papae et eremitae	
20.	S. Bernardini Senensis, presbyteri	
25.	S. Bedae Venerabilis, presbyteri et Ecclesiae doctoris	Memoria
26.	S. Gregorii VII, papae	
	S. Mariae Magdalenae de' Pazzi, virginis	
	S. Philippi Neri, presbyteri	
27.	S. Augustini Cantuariensis, episcopi	
31.	IN VISITATIONE BEATAE MARIAE VIRGINIS	FESTUM
	Dominica I post Pentecosten: SANCTISSIMAE TRINITATIS	SOLLEMNITAS
	Feria V post SANCTISSIMAM TRINITATEM: SANCTISSIMI CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI	SOLLEMNITAS
	Feria VI post Dominicam II post Pentecosten SACRATISSIMI CORDIS IESU	SOLLEMNITAS
	Sabbato post dominicam II post Pentecosten: Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis	

IUNIUS

1.	S. Iustini, martyris	Memoria
2.	Ss. Marcellini et Petri, martyrum	
3.	Ss. Caroli Lwanga et sociorum, martyrum	Memoria
5.	S. Bonifatii, episcopi et martyris	Memoria
6.	S. Norberti, episcopi	
9.	S. Ephraem, diaconi et Ecclesiae doctoris	
11.	S. Barnabae, apostoli	Memoria
13.	S. Antonii de Padova, presbyteri et Ecclesiae doctoris	Memoria
19.	S. Romualdi, abbatis	Memoria
21.	S. Aloisii Gonzaga, religiosi	Memoria
22.	S. Ioannis Fisher, episcopi et Thomae More, martyrum	Memoria
	S. Paulini Nolani, episcopi	

24.	IN NATIVITATE S. IOANNIS BAPTISTAE	SOLLEMNITAS
27.	S. Cyrilli Alexandrini, episcopi et Ecclesiae doctoris	
28.	S. Irenaei, episcopi et martyris	Memoria
29.	SS. PETRI ET PAULI, APOSTOLORUM	SOLLEMNITAS
30.	Ss. Protomartyrum S. Romanae Ecclesiae	

IULIUS

3.	S. THOMAE, APOSTOLI	FESTUM
4.	S. Elisabeth Lusitaniae	
5.	S. Antonii Mariae Zaccaria, presbyteri	
6.	S. Mariae Goretti, virginis et martyris	
11.	S. PATRIS BENEDICTI, ABBATIS	SOLLEMNITAS
12.	S. Ioannis Gualberti, abbatis	
13.	S. Henrici	
14.	S. Camilli de Lellis, presbyteri	
15.	S. Bonaventurae, episcopi et Ecclesiae doctoris	Memoria
16.	B. Mariae Virginis de Monte Carmelo	
21.	S. Laurentii de Brindisi, presbyteri et Ecclesiae doctoris	
22.	S. Mariae Magdalenae	Memoria
23.	S. Birgittae, religiosae	
25.	S. IACOBI, APOSTOLI	FESTUM
26.	Ss. Ioachim et Annae, parentum B. Mariae Virginis	Memoria
29.	Ss. Marthae, Mariae et Lazari, hospitum Domini	Memoria
30.	S. Petri Chrysologi, episcopi et Ecclesiae doctoris	
31.	S. Ignatii de Loyola, presbyteri	Memoria

AUGUSTUS

1.	S. Alfonsi Maria de' Liguori, episcopi et Ecclesiae doctoris	Memoria
2.	S. Eusebii Vercellensis, episcopi	
4.	S. Ioannis Mariae Vianney, presbyteri	Memoria
5.	In dedicatione basilicae S. Mariae	
6.	IN TRANSFIGURATIONE DOMINI	FESTUM
7.	Ss. Xysti II, papae, et sociorum, martyrum	
	S. Caietani, presbyteri	
8.	S. Dominici, presbyteri	Memoria
10.	S. LAURENTII, DIACONI ET MARTYRIS	FESTUM
11.	S. Clarae, virginis	Memoria
13.	Ss. Pontiani, papae et Hippolyti, presbyteri, martyrum	
15.	IN ASSUMPTIONE BEATAE MARIAE VIRGINIS	SOLLEMNITAS
16.	S. Stephani Hungarii	
19.	S. Bernardi Tolomei, abbatis	
	S. Ioannis Eudes, presbyteri	
20.	S. Bernardi, abbatis et Ecclesiae doctoris	Memoria

21.	S. Pii X, papae	Memoria
22.	Beatae Mariae Virginis Reginae	Memoria
23.	S. Rosae de Lima, virginis	
24.	S. BARTHOLOMAEI, APOSTOLI	FESTUM
25.	S. Ludovici	
	S. Ioseph de Calasanz, presbyteri	Memoria
27.	S. Monicae	Memoria
28.	S. Augustini, episcopi et Ecclesiae doctoris	Memoria
29.	In Passione S. Ioannis Baptistae, martyris	Memoria

SEPTEMBER

3.	S. GREGORII MAGNI, PAPAE ET ECCLESIAE DOCTORIS	FESTUM
8.	IN NATIVITATE BEATAE MARIAE VIRGINIS	FESTUM
13.	S. Ioannis Chrysostomi, episcopi et Ecclesiae doctoris	Memoria
14.	IN EXALTATIONE SANCTAE CRUCIS	FESTUM
15.	Beatae Mariae Virginis Perdolentis	Memoria
16.	Ss. Cornelii, papae, et Cypriani, episcopi, martyrum	Memoria
17.	S. Hildegardis, virginis	
	S. Roberti Bellarmino, episcopi et Ecclesiae doctoris	
19.	S. Ianuarii, episcopi et martyris	
21.	S. MATTHAEI, APOSTOLI ET EVANGELISTAE	FESTUM
26.	Ss. Cosmae et Damiani, martyrum	
27.	S. Vincentii de Paul, presbyteri	Memoria
28.	S. Venceslai, martyris	
29.	SS. MICHAELIS ET OMNIUM ANGELORUM	FESTUM
30.	S Hieronymi, presbyteri et Ecclesiae doctoris	Memoria

OCTOBER

1.	S. Teresiae a Iesu Infante, virginis	Memoria
2.	Ss. Angelorum Custodum	Memoria
4.	S. Francisci Assisiensis	Memoria
6.	S. Brunonis, eremitae	Memoria
7.	Beatae Mariae Virginis a Rosario	Memoria
9.	Ss. Dionysii, episcopi, et sociorum, martyrum	
	S. Ioannis Leonardi, presbyteri.	
14.	S. Callisti I, papae et martyris	
15.	S. Teresiae de Avila, virginis et Ecclesiae doctoris	Memoria
16.	S. Hedvigis, religiosae	
	S. Margaritae Mariae Alacoque, virginis	
17.	S. Ignatii Antiocheni, episcopi et martyris	Memoria
18.	S. LUCAE, EVANGELISTAE	FESTUM
19.	Ss. Ioannis de Brebeuf et Isaac Jogues, presbyterorum et sociorum, martyrum	
	S. Pauli a Cruce, presbyteri	
23.	S. Ioannis de Capestrano, presbyteri	
24.	S. Antonii Mariae Claret, episcopi	
28.	SS. SIMONIS ET IUDAE, APOSTOLORUM	FESTUM

NOVEMBER

1.	OMNIUM SANCTORUM	SOLLEMNITAS
2.	IN COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM	
3.	S. Martini de Porres, religiosi	
4.	S. Caroli Borromeo, episcopi	Memoria
7.	S. Willibrordi, episcopi	
9.	IN DEDICATIONE BASILICAE LATERANENSIS	FESTUM
10.	S. Leonis Magni, papae et Ecclesiae doctoris	Memoria
11.	S. MARTINI TURONENSIS, EPISCOPI	FESTUM
12.	S. Theodori Studitae, abbatis	
	S. Iosaphat, episcopi et martyris	
15.	S. Alberti Magni, episcopi et Ecclesiae doctoris	
16.	S. Gertrudis, virginis	Memoria
17.	S. Margaritae Scotiae	
	S. Elisabeth Hungariae, religiosae	
18.	In Dedicatione basilicarum Ss. Petri et Pauli, apostolorum	
19.	S. Mechtildis, virginis	
21.	In Praesentatione Beatae Mariae Virginis	Memoria
22.	S. Caeciliae, virginis et martyris	Memoria
23.	S. Clementis I, papae et martyris	
~~24.~~	~~S. Clementis I, papae et martyris~~	
24.	S. Columbani, abbatis	
26.	S. Silvestri, abbatis	
30.	S. ANDREAE, APOSTOLI	FESTUM
	Dominica ultima per annum:	
	DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI UNIVERSORUM REGIS	SOLLEMNITAS

DECEMBER

3.	S. Francisci Xavier, presbyteri	
4.	S. Ioannis Damasceni, presbyteri et Ecclesiae doctoris	Memoria
5.	S. Sabbae, abbatis	
6.	S. Nicolai, episcopi	
7.	S. Ambrosii, episcopi et Ecclesiae doctoris	Memoria
8.	IN CONCEPTIONE IMMACULATA BEATAE MARIA VIRGINIS	SOLLEMNITAS
11.	S. Damasi I, papae	
12.	S. Ioannae Franciscae de Chantal, religiosae	
13.	S. Luciae, virginis et martyris	Memoria
14.	S. Ioannis a Cruce, presbyteri et Ecclesiae doctoris	Memoria
21.	S. Petri Canisii, presbyteri et Ecclesiae doctoris	
23.	S. Ioannis de Kenty, presbyteri	

25.	IN NATIVITATE DOMINI	SOLLEMNITAS
26.	S. STEPHANI, PROTOMARTYRIS	FESTUM
27.	S. IOANNIS, APOSTOLI ET EVANGELISTAE	FESTUM
28.	SS. INNOCENTIUM MARTYRUM	FESTUM
29.	S. Thomae Becket, episcopi et martyris	
31.	S. Silvestri I, papae	
	Dominica infra octavam Nativitatis, vel, ea deficiente, die 30 Decembris:	
	SANCTAE FAMILIAE IESU, MARIAE ET IOSEPH	FESTUM

MISSAE PROPRIAE
AD USUM
CONFOEDERATIONIS BENEDICTINAE

IANUARIUS

Die 10 Ianuarii

S. GREGORII NYSSENI, episcopi

Ant. ad introitum 1 Sam 2, 35

Suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum et animam meam faciet, dicit Dominus.

Collecta

Deus, cuius laudes beatus Gregorius episcopus
magno vitae et doctrinae splendore concinuit,
concede propitius,
ut quae retro sunt obliviscentes
et ad priora nos iugiter extendentes,
bravium supernae vocationis feliciter attingamus.
Per Dominum.

Lectio prior

De feria vel: ex epistola beati Pauli apostoli ad Philippenses 3, 7-14

Psalmus responsorius Ps 15, 1-2a. 7-8. 9 et 11 (℟.: 5a)

℟. Tu es, Domine, pars hereditatis meae.

1. Conserva me, Deus, quoniam speravi in te.
2. Dixi Domino: « Dominus meus es tu. » ℟.

7. Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum;
insuper et in noctibus erudierunt me renes mei.
8. Proponebam Dominum in conspectu meo semper,
quoniam a dextris est mihi, non commovebor. ℟.

9. Propter hoc laetatum est cor meum,
et exsultaverunt praecordia mea;
insuper et caro mea requiescet in spe.
11. Notas mihi facies vias vitae,
plenitudinem laetitae cum vultu tuo,
delectationes in dextera tua usque in finem. ℟.

Alleluia et versus ante evangelium Mt 5, 8

(℟. Alleluia). ℣. Beati mundo corde,
quoniam ipsi Deum videbunt. (℟. Alleluia).

Evangelium

De feria vel: secundum Matthaeum 5, 1-12a

Super oblata

Suscipe, Domine, haec munera populi tui,
quae tibi in beati Gregorii festivitate offerimus,
ut per eadem, sicut confidimus,
tuae pietatis sentiamus auxilium.
Per Christum.

Ant. ad communionem Io 10, 10

Ego veni ut vitam habeant,
et abundantius habeant, dicit Dominus.

Post communionem

Corporis sacri et pretiosi Sanguinis alimonia repleti,
quaesumus, Domine Deus noster,
ut, quo pia devotione gerimus, certa redemptione capiamus.
Per Christum.

(Vel: Missa 4 de Communi sanctorum: MR 716)

Die 15 Ianuarii

Ss. MAURI ET PLACIDI, DISCIPULORUM SANCTI PATRIS BENEDICTI

Memoria

Ant. ad introitum Cf. Ps 23, 5-6

Isti sunt sancti, qui acceperunt benedictionem a Domino
et misericordiam a Deo salutari suo,
quia haec est generatio quaerentium Dominum.

Collecta

Deus, qui mirum nobis monasticae conversationis exemplar
in beatis Mauro et Placido praebuisti,
da nobis eorum sequi vestigia
ut praemiorum quoque mereamur obtinere consortia.
Per Dominum.

Lectio prior

Lectio epistolae primae beati Pauli apostoli
ad Corinthios 1, 26-31

Fratres:

Videte vocationem vestram, fratres; quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles.

Sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu eius.

Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia a Deo et iustitia et sanctificatio et redemptio; ut, quemadmodum scriptum est, « qui gloriatur, in Domino glorietur ».

Psalmus responsorius Ps 14, 1-2. 3-4b. 4c-5 (℟. 1b)

℟. Iustus requiescet in monte sancto tuo, Domine.

1. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?
Quis requiescet in monte sancto tuo?

2. Qui ingreditur sine macula, et operatur iustitiam;
qui loquitur veritatem in corde suo. ℟.
3. Qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo
malum et opprobrium non intulit proximo suo.
4. Ad nihilum reputatus est in conspectu eius malignus
timentes autem Dominum glorificat. ℟.
Qui iurat in detrimentum suum et non mutat,
5. qui pecuniam suam non dedit ad usuram et munera
super innocentem non accepit.
Qui facit haec, non movebitur in aeternum. ℟.

Alleluia et versus ante evangelium Mt 5, 3

(℟. Alleluia). ℣. Beati pauperes spiritu,
quoniam ipsorum est regnum caelorum. (℟. Alleluia).

Evangelium

✠ Lectio sancti evangelii secundum Lucam 12, 32-34

In illo tempore:

Dixit Iesus discipulis suis: « Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.

Vendite quae possidetis et date eleemosynam. Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in caelis, quo fur non appropriat, neque tinea corrumpit.

Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit ».

Super oblata

Accepta tibi sint, quaesumus, Domine,
munera nostrae servitutis
pro beatorum Mauri et Placidi commemoratione
altari tuo proposita,
et concede, ut, a terrenis impedimentis absoluti,
te solo divites efficiamur.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 33, 9

Gustate et videte quoniam suavis est Dominus:
beatus vir, qui sperat in eo.

Post communionem

Per huius virtutem sacramenti, quaesumus, Domine,
beatorum Mauri et Placidi exemplo
deduc nos iugiter in tua dilectione,
et opus bonum quod coepisti in nobis
perfice usque in diem Christi Iesu.
Qui vivit.

Die 26 Ianuarii

Ss. ROBERTI, ALBERICI ET STEPHANI, abbatum Cisterciensium

Ant. ad introitum Ps 144, 10-11

Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua,
et Sancti tui benedicant
tibi: gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur.

Collecta

Deus, qui in sanctorum operibus
religionis nobis testimonium reliquisti,
da, quaesumus,
ut, eorum eruditi spiritalibus institutis,
eandem fidem per dilectionem exercere
in bono opere studeamus.
Per Dominum.

Lectio prior

De feria vel: ex epistola secunda beati Pauli apostoli ad Corinthios 4, 6-11

Psalmus responsorius Ps 15, 1-2a. 7-8. 9 et 11 (℟.: 5 a)

(Vide supra die 10 Ianuarii in festo S. Gregorii Nysseni)

Alleluia et versus ante evangelium Io 13, 34

(℟. Alleluia) ℣. Mandatum novum do vobis, dicit Dominus, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. (℟. Alleluia).

Evangelium

De feria vel: secundum Ioannem 15, 9-17

Super oblata

Preces nostras, Domine, quaesumus, propitiatus admitte,
et, ut digne tuis famulemur altaribus,
Sanctorum tuorum nos intercessione custodi.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 67, 4

Iusti epulentur, et exsultent in conspectu Dei,
et delectentur in laetitia.

Vel: Lc 12, 37

Beati servi illi, quos, cum venerit Dominus,
invenerit vigilantes; amen dico vobis, quod praecinget se,
et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis.

Post communionem

Omnipotens sempiterne Deus,
Pater totius consolationis et pacis,
praesta familiae tuae in celebritate Sanctorum
ad laudem tui nominis congregatae,
ut, per Unigeniti tui sumpta mysteria,
pignus accipiat redemptionis aeternae.
Per Christum.

(Vel: Missa 1 de Communi sanctorum: MR 713)

Die 10 Februarii

S. SCHOLASTICAE VIRGINIS

Festum

Ant. ad introitum Cant 2 10, 11

Surge, propera, amica mea,columba mea, et veni:
iam enim hiems transiit, imber abiit et recessit.

Collecta

Deus, qui beatam Scholasticam virginem
praecipue innocentiae lumine decorasti,
da, nobis, intemerata tibi semper conversatione placere,
ut te choris virginum celebrato delectemur in caelis.
Per Dominum.

Lectio prior

Lectio libri Osee prophetae 2, 14b. 15b. 19-20

Haec dicit Dominus:

Ecce ego ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius; et canet ibi iuxta dies iuventutis suae, et iuxta dies ascensionis suae de terra Aegypti.

Et sponsabo te mihi in sempiternum; et sponsabo te mihi in iustitia et iudicio, et in misericordia et in miserationibus, et sponsabo te mihi in fide, et scies quia ego Dominus.

Psalmus responsorius Ps 44, 11-12. 14-15. 16-17 (℟.: Cf Mt 25,6)

℟. Ecce Sponsus venit: exite obviam Christo Domino.

11. Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam,
et obliviscere populum tuum et domum patris tui;
12. et concupiscet rex speciem tuam.
Quoniam ipse est dominus tuus, et adora eum. ℟.
14. Gloria nimis filia regis intrinsecus,
texturis aureis circumamicta.

15. In vestibus variegatis adducetur regi;
virgines post eam, proximae eius, afferuntur tibi. ℟.
16. Afferuntur in laetitia et exsultatione,
adducuntur in domum regis.
17. Pro patribus tuis erunt tibi filii;
constitues eos principes super omnem terram. ℟.

Lectio secunda

Lectio libri Apocalypsis beati Ioannis apostoli 19, 1. 5-9a

Ego Ioannes audivi quasi vocem turbarum multarum in caelo dicentium: « Alleluia, salus et gloria et virtus Deo nostro est ».

Et vox de throno exivit dicens: « Laudem dicite Deo nostro, omnes servi eius, et qui timetis eum, pusilli et magni ».

Et audivi quasi vocem turbae magnae, et sicut vocem aquarum multarum, et sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium: « Alleluia, quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus et exsultemus et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiae Agni, et uxor eius praeparavit se. Et datum est illi ut cooperiat se byssino splendenti et candido »; byssinum enim iustificationes sunt sanctorum.

Et dixit mihi: « Scribe: Beati qui ad cenam nuptiarum Agni vocati sunt ».

Alleluia et versus ante evangelium Io 14, 23

(℟. Alleluia). ℣. Si quis diligit me, sermonem meum servabit,
et Pater meus diliget eum,
et ad eum veniemus. (℟. Alleluia).

Evangelium

✠ Lectio sancti evangelii secundum Lucam 10, 38-42

In illo tempore:

Intravit Iesus in quoddam castellum; et mulier quaedam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et huic erat soror nomine Maria, quae etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius.

Martha autem satagebat circa frequens ministerium; quae stet et ait: « Domine, non est tibi curae, quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi ut me adiuvet ».

Et respondens dixit illi Dominus: « Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium: Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea ».

Super oblata

Muneribus votisque nostris, Domine, placatus intende,
ipsa beatae Scholasticae precibus suscipiens gratiora,
quae abscondita tibi vixit et cupit deservire.
Per Christum.

Praefatio *

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habemus ad Dominum.
℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare,
nos tibi semper et ubique gratias agere:
Domine, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus:
per Christum Dominum nostrum.

Qui Ecclesiam suam virginali candore gestiens adornari,
beatam quoque Scholasticam voluit innocentiae nitere monilibus,
et columbae tibi fieri simplicitate gratissimam.
Sed et illam magni fratris Benedicti sanctitudini sociavit,
ut ipso magistro te solum super cuncta requireret,
et frondens in gratiam, tua per aevum dilectione gauderet.
Et ideo cum Sanctis et Angelis Universis,
te collaudamus, sine fine dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt caeli et terra gloria tua.
Hosanna in excelsis.
Benedictus qui venit in nomine Domini.
Hosanna in excelsis.

---

* Praefatio monasteriis Monialium propria.

Ant. ad communionem Ps 83, 3.

Cor meum et caro mea
exsultaverunt in Deum vivum.

Post communionem

Quos sacramentis, Domine, caelestibus nutrivisti,
fac ut fideli nos te diligamus amore,
cuius ignibus beata Scholastica mirabiliter aestuavit.
Per Christum.

Die 11 Februarii

S. BENEDICTI ANIANENSIS, abbatis

Ant. ad introitum Ier 3, 15

Dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina.

Vel: Dan 3, 84.87

Sacerdotes Dei, benedicite Dominum; sancti et humiles corde, laudate Deum.

Collecta

Deus, qui beati Benedicti abbatis doctrina et exemplis
vitam monasticam renovasti,
eius intercessione concede propitius,
ut perfectam disciplinam teneamus in Christo.
Qui tecum.

Lectio prior

De feria vel: ex libro Sophoniae prophetae 2, 3; 3, 12-13

Psalmus responsorius Ps 33, 2-3. 4-5. 6-7. 8-9. 10-11 (℟.: 12)

℟. Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos.

2. Benedicam Dominum in omni tempore,
semper laus eius in ore meo.
3. In Domino gloriabitur anima mea,
audiant mansueti et laetentur. ℟.

4. Magnificate Dominum mecum,
et exaltemus nomen eius in idipsum.
5. Exquisivi Dominum, et exaudivit me,
et ex omnibus terroribus meis eripuit me. R/.
6. Respicite ad eum, et illuminamini,
et facies vestrae non confundentur.
7. Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum,
et de omnibus tribulationibus eius salvavit eum. R/.
8. Vallabit angelus Domini in circuitu timentes eum,
et eripiet eos.
9. Gustate et videte quoniam suavis est Dominus;
beatus vir qui sperat in eo. R/.

Alleluia et versus ante evangelium Col 3, 15

(R/. Alleluia) V/. Pax Christi exsultet in cordibus vestris,
in qua et vocati estis in uno corpore. (R/. Alleluia).

Evangelium

De feria vel: secundum Matthaeum 23, 8-12

Super oblata

Clementissime Deus, qui, vetere homine consumpto,
novum secundum te in beato Benedicto creare dignatus es,
concede propitius, ut nos pariter renovati
hanc placationis hostiam tibi acceptabilem offeramus.
Per Christum.

Ant. ad communionem Mt 20, 28

Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare,
et dare animam suam redemptionem pro multis.

Post communionem

Sumpsimus, Domine, sancti Benedicti Anianensis
memoriam celebrantes, sacramenta caelestia;
praesta, quaesumus, ut quod temporaliter gerimus,
aeternis gaudiis consequamur.
Per Christum.

(Vel: Missa 5 de Communi sanctorum: MR 717)

MARTIUS

Die 21 Martii

TRANSITUS SANCTI PATRIS BENEDICTI, ABBATIS

Festum

Ant. ad introitum

Gratiam et gloriam dedit ei Dominus, et benedixit
hereditati illius, et fecit domos eius tabernacula pacis.

Collecta

Deus, qui beatum Benedictum abbatem, Filii tui spiritu repletum,
insignem fecisti perfectionis evangelicae praeceptorem,
concede, nobis,
ut eius illustrem ad caelos transitum recolentes,
ad caritatis gloriaeque culmina festinemus.
Per Dominum.

Lectio prior

Lectio libri Genesis 12, 1-4a

In diebus illis:

Dixit Dominus ad Abram: « Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui, et veni in terram quam monstrabo tibi. Faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi et maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universae cognationes terrae ».

Egressus est itaque Abram, sicut praeceperat ei Dominus.

Psalmus responsorius Ps 1, 1-2. 3-4. et 6 (℟. Ps 39, 5a)

℟. Beatus vir qui posuit Dominus spem suam.

1. Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum
et in via peccatorum non stetit, et in conventu
derisorum non sedit;

2. Sed in lege Domini voluntas eius, et in lege eius meditatur die ac nocte. ℟.
3. Et erit tamquam lignum plantatum secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo; et folium eius non defluet, sed omnia quaecumque faciet prosperabuntur. ℟.
4. Non sic impii, non sic, sed tamquam pulvis, quem proicit ventus.
6. Quoniam novit Dominus viam iustorum, et iter impiorum peribit. ℟.

Vel:

Psalmus responsorius Ps 132, 1-2. 3 (℟. 1)

℟. Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum.

1. Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum.
2. sicut unguentum optimum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius. ℟.
3. Sicut ros Hermon, qui descendit in montes Sion. Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, vitam usque in saeculum. ℟.

Lectio secunda

Lectio epistolae beati Pauli apostoli ad Philippenses 4, 4-9

Fratres:

Gaudete in Domino semper; iterum dico: gaudete! Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Dominus prope. Nihil solliciti sitis, sed in omnibus oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestrae innotescant apud Deum. Et pax Dei quae exsuperat omnem sensum custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Iesu.

De cetero, fratres, quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque casta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus et si qua laus, haec cogitate; quae et didicistis et accepistis et audistis et vidistis in me, haec agite; et Deus pacis erit vobiscum.

Alleluia et versus ante evangelium Io 8, 31b-32

(℟. Alleluia). ℣. Si manseritis in sermone meo,
vere discipuli mei eritis
et cognoscetis veritatem, dicit Dominus (℟. Alleluia).

Evangelium

✠ Lectio sancti evangelii secundum Ioannem 17, 20-26

In illo tempore:

Sublevatis Iesus oculis in caelum, oravit dicens: « Pater sancte, non pro eis rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me; ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus quia tu me misisti.

Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum, et cognoscat mundus quia tu me misisti et dilexisti eos, sicut et me dilexisti.

Pater quos dedisti mihi, volo ut, ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi; quia dilexisti me ante constitutionem mundi.

Pater iuste, mundus te non cognovit; ego autem te cognovi, et hi cognoverunt quia tu me misisti. Et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam, ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.

Super oblata

Suncti Benedicti, Domine, nobis subveniant benigna suffragia,
ut qui haec munera purae sensu devotionis offerimus,
nosmetipsos abnegantes,
mereamur Christi passionum aeternaeque hereditatis esse consortes.
Per Christum.

Praefatio

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare,
nos tibi semper et ubique gratias agere:
Domine, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus:
per Christum Dominum nostrum.

Ipsius enim gratiae beatum Benedictum magno voluisti lumine collustrare,
qui nihil eius amori censuit praeponendum
et illi vero regi se filiosque tradidit servituros.

Qui signis egregius moribusque praeclarus, praecipuus doctor est a te monasticae conversationis electus, ut orationis opere studioque virtutum, te revera quaererent homines et quae illis caelestia praeparasti. ***

Haec igitur mira tuae largitatis munera cum gaudio collaudantes ,hymnum tibi gloriae cum angelorum turbis concordi voce proferimus sine fine dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt caeli et terra gloria tua.
Hosanna in excelsis.
Benedictus qui venit in nomine Domini.
Hosanna in excelsis.

Ant. ad communionem Prov 10, 6.7.11.12.

Benedictio Domini super caput eius,
et memoria illius cum laudibus;
vena vitae os ipsius, quod erudivit plurimos.

*** *Haec verba monasterio Montis Casini propria*: « Qui a te missus lucis doctor, est in caelum per viam lucis elatus, et per ducatum evangelii multos in saecula tibi populos adunavit ».

Post communionem

Qui beatus Benedictus, Domine, meruit ad te
his mysteriis munitus ascendere,
ipse nobis suae merito intercessionis obtineat,
ut ad vitam aeternam bonis actibus gradiendi
nobis amor semper incumbat.
Per Christum.

APRILIS

Die 23 Aprilis

S. ADALBERTI, episcopi et martyris

Ant. ad introitum Cf 4 Esdr 2, 35

Lux perpetua lucebit Sanctis tuis, Domine,
et aeternitas temporum, alleluia.

Collecta

Deus, qui beatum Adalbertum episcopum
in verbi ministerium elegisti et passionis agone sacrasti,
concede, quaesumus,
ut, eius exemplo ad audienda tua mandata solliciti,
Evangelium tuum verbo simul et opere iugiter nuntiemus.
Per Dominum.

Lectio prior

De feria vel: Lectio Actuum Apostolorum 20, 17-18a. 28-32.36.

Psalmus responsorius Ps 30, 3cd-4. 6ab. 7b et 8a 15-16. 17 et 20 (℟. 6a)

℟. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

3. Esto mihi in rupem praesidii, et in domum munitam,
ut salvum me facias.
4. Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu,
et propter nomen tuum deduces me et pasces me. ℟.

6. In manus tuas commendo spiritum meum;
redemisti me, Domine, Deus veritatis.
7. Ego autem in Domino speravi.
8. Exsultabo et laetabor in misericordia tua,
quoniam respexisti humilitatem meam. R/.
15. Ego autem in te speravi, Domine;
dixi: « Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meae ».
16. Eripe me de manu inimicorum meorum
et a persequentibus me; R/.
17. Illustra faciem tuam super servum tuum,
salvum me fac in misericordia tua.
20. Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine,
quam abscondisti timentibus te.
Perfecisti eis, qui sperant in te,
in conspectu filiorum hominum. R/.

Alleluia et versus ante evangelium Lc 4, 18-19

(R/. Alleluia). V/. Evangelizare pauperibus misit me Dominus, praedicare captivis remissionem. (R/. Alleluia).

Evangelium

De feria vel: secundum Ioannem 12, 24-26

Super oblata

Suscipe, Domine, sacrificium placationis et laudis,
quod in commemoratione beati martyris Adalberti
tuae offerimus maiestati,
ut nos perducat ad veniam,
et in perpetua gratiarum constituat actione.
Per Christum.

Ant. ad communionem 2 Tim 2, 11-12

Si commortui sumus cum Christo, et convivemus;
si sustinebimus, et conregnabimus, alleluia.

Post communionem

Tua, Domine, sumpsimus dona caelestia
de hodierna festivitate laetantes;
praesta, quaesumus,
ut, qui in hoc divino convivio mortem Filii tui annuntiamus,
eiusdem resurrectionis et gloriae
cum sanctis martyribus participes esse mereamur.
Per Christum.

(Vel: Missa 3 de Commune pastorum: MR 694; vel Missa 2 de Commune sanctorum: MR 714)

MAIUS

Die 11 Maii

Ss. ODONIS, MAIOLI, ODILONIS,
HUGONIS ET BEATI PETRI VENERABILIS
abbatum Cluniacensium

Memoria

Ant. ad introitum Ps 91, 13-14

Iustus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur; plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.

Collecta

Deus, qui perfecte ambulantium coram te
praesidium es et merces magna nimis,
perfice, quaesumus, in nobis sanctae religionis affectum,
ut, beatorum abbatum Cluniacensium exemplo et intercessione,
viam caritatis dilatato corde curramus.
Per Dominum.

Lectio prior

Lectio libri Siracidae 44, 1-15

Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros
in generatione sua.
Multam gloriam fecit Dominus; magnificentia sua a saeculo.
Dominantes in potestatibus suis,
homines magni virtute et prudentia sua praediti,
nuntiantes in prophetis dignitatem prophetarum,
et in imperantes in praesenti populo,
et virtute prudentiae populis sanctissima verba;
in peritia sua requirentes modos musicos,
et narrantes carmina scripturarum;
homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes,
pacificantes in domibus suis.
Omnes isti in generationibus gentis suae gloriam adepti sunt,
et in diebus suis habentur in laudibus.
Qui de illis nati sunt reliquerunt nomen narrandi laudes eorum.
Et sunt quorum non est memoria; perierunt quasi non nati,
et filii ipsorum cum ipsis.
Sed illi viri misericordiae sunt, quorum pietates non defuerunt.
Cum semine eorum permanent bona, hereditas sancta
nepotes eorum,
et in testamentis stetit semen eorum;
et filii eorum propter illos
usque in aeternum manent, semen eorum
et gloria eorum non derelinquetur.
Corpora ipsorum in pace sepulti sunt,
et nomen eorum vivit in generationem
et generationem; sapientiam ipsorum narrent populi, et laudes
eorum nuntiet ecclesia.

Psalmus responsorius Ps 23, 1-2. 3-4ab. 5-6 (℟.: 6)

℟. Haec est generatio quaerentium faciem tuam, Domine.

1. Domini est terra et plenitudo eius,
orbis terrarum et qui habitant in eo.
2. Quia ipse super maria fundavit eum,
et super flumina firmavit eum. ℟.
3. Quis ascendet in montem Domini,
aut quis stabit in loco sancto eius?

4. Innocens manibus et mundo corde,
qui non accepit in vanum nomen eius. ℟.
5. Hic accipiet benedictionem a Domino,
et iustificationem a Deo salutari suo.
6. Haec est generatio quaerentium eum,
quarentium faciem Dei Iacob. ℟.

Alleluia et versus ante evangelium Io 8, 31b-32

(℟. Alleluia). ℣. Si vos manseritis, in sermone meo,
vere discipuli mei estis,
et cognoscetis veritatem, dicit Dominus.

Evangelium

✠ Lectio sancti evangelii secundum Matthaeum 11, 25-30

In illo tempore, respondens Iesus dixit: « Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.

Omnia mihi tradita sunt a Patre meo, et nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius et cui voluerit Filius revelare.

Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.

Tollite iugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris; iugum enim meum suave est et onus meum leve ».

Super oblata

Munera nostra, Domine, sacris altaribus offerentes,
in hac festivitate Sanctorum tuorum,
quaesumus clementiam tuam,
ut eadem et supremam tibi gloriam operentur,
et uberrimam nobis gratiam assequantur.
Per Christum.

Ant. ad communionem Mt 11, 28

Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis,
et ego reficiam vos, dicit Dominus.

Post communionem

Sacramentorum tuorum, Domine,
communio sumpta nos salvet,
et in tuae veritatis luce confirmet.
Per Christum.

Die 15 Maii

S. PACOMII, abbatis

Ant. ad introitum Mal 2, 6

Lex veritatis fuit in ore eius, et iniquitas
non est inventa in labiis eius;
in pace et in aequitate ambulavit
mecum, et multos avertit ab iniquitate.

Collecta

Deus, qui beatum Pacomium abbatem
ad doctrinae virtutumque culmina pervenire fecisti,
concede, quaesumus,
ut, eius exemplo,
panem Verbi tui primum quaeramus
a quo mentes lumen accipiunt et corda quietem.
Per Dominum.

Lectio prior

De feria vel: ex epistola beati Pauli apostoli ad Galatas
5, 22-6, 2

Psalmus responsorius Ps 111, 1-2. 3-4. 5-7a. 7b-8. 9 (℟.: 1a)

℟. Beatus vir qui timet Dominum

1. Beatus vir qui timet Dominum,
in mandatis eius cupit nimis.
2. Potens in terra erit semen eius,
generatio rectorum benedicetur. ℟.
3. Gloria et divitiae in domo eius,
et iustitia eius manet in saeculum saeculi.

4. Exortum est in tenebris lumen rectis,
misericors et miserator et iustus. R/.
5. Iucundus homo qui miseretur et commodat,
disponit res suas in iudicio,
6. quia in aeternum non commovebitur.
7. In memoria aeterna erit iustus
ab auditione mala non timebit. R/.
8. Paratum cor eius, sperans in Domino,
confirmatum est cor eius, non timebit,
donec despiciat inimicos suos. R/.
9. Distribuit, dedit pauperibus;
iustitia eius manet in saeculum saeculi,
cornu eius exaltabitur in gloria. R/.

Alleluia et versus ante evangelium Mt 11, 28

(R/. Alleluia). V/. Venite ad me,
omnes qui laboratis et onerati estis,
et ego reficiam vos, dicit Dominus. (R/. Alleluia).

Evangelium

De feria vel: secundum Matthaeum 5, 1-12a

Super oblata

Sacrificia, Domine,
quae in hac festivitate sancti Pacomii tuae offerimus maiestati,
nobis sint ad salutem efficacia, et tuae placita pietati.
Per Christum.

Ant. ad communionem Mt 5, 8-9

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt:
beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur:
beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam,
quoniam ipsorum est regnum caelorum.

Post communionem

Sacro munere satiati, supplices te, Domine, deprecamur,
ut, quod debitae servitutis celebramus officio,
salvationis tuae sentiamus augmentum.
Per Christum.

Die 19 Maii

S. CAELESTINI, papae et eremitae

Ant. ad introitum Cf Sir 45, 30

Statuit ei Dominus testamentum pacis, et principem fecit eum, ut sit illi sacerdotii dignitas in aeternum.

Collecta

Deus, corona sanctorum et humilium celsitudo,
qui beato Caelestino dedisti
et in summo Ecclesiae tuae fastigio
et in remotiore vita tibi humiliter deservire,
eius nobis, quaesumus, intercessione concede,
ut per angustam viam feliciter perveniamus ad vitam.
Per Dominum.

Lectio prior

De feria vel: lectio libri Siracidae 3, 19-26

Psalmus responsorius Ps 22, 1-3. 4.5.6 (℟.: 1)

℟. Dominus pascit me, et nihil mihi deerit.

1. Dominus pascit me, et nihil mihi deerit.
2. in pascuis virentibus me collocavit,
super aquas quietis eduxit me,
3. animam meam refecit.
Deduxit me super semitas iustitiae propter nomen suum. ℟.
4. Nam et si ambulavero in valle umbrae mortis,
non timebo mala, quoniam tu mecum es.
Virga tua et baculus tuus
ipsa me consolata sunt. ℟.

Alleluia et versus ante evangelium Mt 11, 28

(℟. Alleluia). ℣. Benedictus es, Pater, Domine caeli et terrae, quia mysteria regni parvulis revelasti. (℟. Alleluia).

Evangelium

De feria vel: secundum Matthaeum 11, 25-30

Super oblata

Annue, nobis, quaesumus, Domine,
ut in hac festivitate beati Caelestini, haec nobis prosit oblatio,
quam immolando totius mundi tribuisti relaxari delicta.
Per Christum.

Ant. ad communionem Io 21, 17

Domine, tu omnia nosti; tu scis quia amo te.

Post communionem

Acceptorum munerum virtus, Domine Deus,
in hac festivitate beati Caelestini nobis effectus impleat,
ut simul et mortalis vitae subsidium conferat,
et gaudium perpetuae felicitatis obtineat.
Per Christum.

Die 11 Iulii

SANCTI PATRIS NOSTRI BENEDICTI, ABBATIS SOLLEMNITAS

Ant. ad introitum Ps 15, 5-6

Dominus pars hereditatis meae et calicis mei:
tu es qui restitues hereditatem meam mihi.
Funes ceciderunt mihi in praeclaris;
etenim hereditas mea praeclara est mihi.

Collecta

Deus, qui beatum Benedictum abbatem
in schola divini servitii praeclarum constituisti magistrum,
tribue, quaesumus,
ut, amori tuo nihil praeponentes,
viam mandatorum tuorum dilatato corde curramus.
Per Dominum.

Lectio prior

Lectio libri Proverbiorum 2, 1-9

Fili mi, si susceperis sermones meos, et mandata mea absconderis penes te, ut audiat sapientiam auris tua, inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam. Si enim sapientiam invocaveris et inclinaveris cor tuum prudentiae, si quaesieris eam quasi pecuniam et sicut thesauros effoderis illam, tunc intelleges timorem Domini et scientiam Dei invenies; quia Dominus dat sapientiam, et ex ore eius prudentia et scientia.

Custodiet rectorum salutem et proteget gradientes simpliciter, servans semitas iustitiae et vias sanctorum custodiens. Tunc intelleges iustitiam et iudicium et aequitatem et omnem semitam bonam.

Psalmus responsorius Ps 33, 2-3. 4-5. 10-11. 12-13. (℟.: 12)

℟. Venite, filii, audite me:
timorem Domini docebo vos. ℟.

2. Benedicam Dominum in omni tempore,
semper laus eius in ore meo.
3. In Domino gloriabitur anima mea,
audiant mansueti et laetentur. ℟.

4. Magnificate Dominum mecum,
et exaltemus nomen eius in idipsum.
5. Exquisivi Dominum, et exaudivit me,
et ex omnibus terroribus meis eripuit me. ℟.

10. Timete Dominum, sancti eius,
quoniam non est inopia timentibus eum.
11. Divites eguerunt et esurierunt,
inquirentes autem Dominum non deficient omni bono. ℟.

12. Venite, filii, audite me: timorem Domini docebo vos.
13. Quis est homo, qui vult vitam,
diligit dies, ut videat bonum? ℟.

Lectio secunda

Lectio epistolae beati Pauli apostoli ad Ephesios 4, 1-6

Fratres:

Obsecro vos, ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in caritate; solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae; unus Dominus, una fides, unum baptisma; unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes et per omnia et in omnibus nobis.

Vel

Lectio secunda

Lectio epistolae beati Pauli apostoli ad Colossenses 3, 12-17

Fratres:

Induite vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, mansuetudinem, patientiam, supportantes invicem et donantes vobis ipsis si quis adversus aliquem habet querelam; sicut et Dominus donavit vobis ita et vos; super omnia autem haec caritatem, quod est vinculum perfectionis. Et pax Christi dominetur in cordibus vestris, ad quam et vocati estis in uno corpore; et grati estote.

Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia docentes et commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis, canticis spiritalibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo; et omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in Nomine Domini Iesu, gratias agentes Deo Patri per ipsum.

Psalmus responsorius Ps 15, 1-2. 7-8. 9 et 11 (℟. Cf. 5a)

℟. Tu es, Domine, pars hereditatis meae.

1. Conserva me, Deus,
quoniam speravi in te.
2. Dixi Domino: « Dominus meus es tu,
bonum mihi non est sine te ». ℟.
7. Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum;
insuper et in noctibus erudierunt me renes mei.
8. Proponebam Dominum in conspectu meo semper,
quoniam a dextris est mihi, non commovebor. ℟.

9. Propter hoc laetatum est cor meum,
et exsultaverunt praecordia mea;
insuper et caro mea requiescet in spe.
11. Notas mihi facies vias vitae,
plenitudinem laetitiae cum vultu tuo,
delectationes in dextera tua usque in finem. ℟.

Alleluia et versus ante evangelium Col 3, 15

(℟. Alleluia). ℣. Pax Christi dominetur in cordibus vestris,
ad quam et vocati estis in uno corpore.

Evangelium

✠ Lectio sancti evangelii secundum Lucam 22, 24-27

In illo tempore:

Facta est contentio inter discipulos, quis eorum videretur esse maior. Iesus autem dixit eis: « Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos "benefici" vocantur. Vos autem non sic; sed qui maior est in vobis fiat sicut minor, et qui praecessor est sicut ministrator.

Nam quis maior est, qui recumbit an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat ».

Vel

Alleluia et versus ante evangelium Mt 5, 9

(℟. Alleluia). ℣. Beati pacifici,
quoniam filii Dei vocabuntur.

Evangelium: Mt 5, 1-12a
In illo tempore: Videns Iesus turbas ascendit in montem...

Vel

Alleluia et versus ante evangelium Lc 6, 20

(℟. Alleluia). ℣. Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei.

Evangelium: Mt 19, 27-29:
In illo tempore: Dixit Petrus ad Iesum: « Ecce nos reliquimus omnia »...

Super oblata

Haec sancta, Domine,
quae in beati Benedicti celebritate deferimus,
respice benignus, et praesta,
ut nos, eius exemplis te quaerentes,
unitatis in tuo servitio pacisque dona consequi mereamur.
Per Christum.

Praefatio ut in die 21 Martii

Ant. ad communionem Cf Mt 19, 27-29

Amen dico vobis quod vos qui reliquistis omnia,
et secuti estis me, centuplum accipietis,
et vitam aeternam possidebitis.

Post communionem

Accepto pignore vitae aeternae,
te, Domine, suppliciter deprecamur,
ut, beati Benedicti monitis obsequentes,
operi tuo fideliter serviamus,
et fratres ferventi diligamus caritate.
Per Christum.

PRO MISSA VOTIVA

SANCTI PATRIS BENEDICTI, ABBATIS

Ant. ad introitum Gen 12, 2

Faciam te in gentem magnam, et benedicam tibi,
et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus.

Collecta

Deus, qui praeclaris beati Benedicti monitis
multos tibi populos aggregasti,
praesta, ut viam mandatorum tuorum dilatato corde currentes,
unius fidei robore pacisque semper dulcedine
eius meritis perfruamur.
Per Dominum.

Lectio prior

Lectio libri Siracidae 44, 25a. 45, 2a. 4. 6a. 8b. 9a.

Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus. Agnovit eum in benedictionibus suis, et dedit illi hereditatem. Similem illum fecit in gloria sanctorum, et magnificavit eum in timore inimicorum. In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni carne.

Et dedit illi coram praecepta, et legem vitae et disciplinae. Statuit ei testamentum aeternum et beatificavit illum in gloria; et circumcinxit eum zona gloriae, et induit eum stolam gloriae.

Vel

Lectio libri Siracidae 51, 18-23. 31-34.

Psalmus responsorius Ps 111, 1-2. 3-4. 5-7a. 7b-8. 9 (℟. 2)

℟. Potens in terra erit semen eius,
generatio rectorum benedicetur.

1. Beatus vir qui timet Dominum,
in mandatis eius cupit nimis.
2. Potens in terra erit semen eius,
generatio rectorum benedicetur. ℟.

3. Gloria et divitiae in domo eius,
et iustitia eius manet in saeculum saeculi.
4. Exortum est in tenebris lumen rectis,
misericors et miserator et iustus. ℟.

5. Iucundus homo qui miseretur et commodat,
disponet res suas in iudicio,
6. quia in aeternum non commovebitur.
7. In memoria aeterna erit iustus. ℟.

Ab auditione mala non timebit.
Paratum cor eius, sperans in Domino,
8. confirmatum est cor eius, non timebit,
donec despiciat inimicos suos. ℟.

9. Distribuit, dedit pauperibus;
iustitia eius manet in saeculum saeculi,
cornu eius exaltabitur in gloria. ℟.

Alleluia et versus ante evangelium Mt 5, 9

(℟. Alleluia). ℣. Beati pacifici,
quoniam filii Dei vocabuntur. (℟. Alleluia)

Evangelium

✠ Lectio sancti evangelii secundum Matthaeum 5, 1-12a

In illo tempore:

Videns Iesus turbas ascendit in montem, et, cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, et aperiens os suum docebat eos, dicens:

« Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.
Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.
Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.
Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.
Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur.
Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.
Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.
Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est Regnum caelorum.

Beati estis cum maledixerint vobis et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me; gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis ».

Super oblata

Hanc hostiam, Domine,
quam in beati Benedicti memoria deferimus,
suscipe miseratus,
qui crucis abnegationem nos sapienter edocuit,
ut Christi mysterio fideliter viveremus.
Per Christum.

Praefatio ut in die 21 Martii

Ant. ad communionem Is 63, 14; 32, 18

Spiritus Domini ductor meus fuit,
et sedebit populus meus in pulchritudine pacis.

Post communionem

Haec tuae dilectionis, Domine, sacramenta quae sumpsimus,
beati patris Benedicti sancta praecepta confirment,
qui mirabiliter caritatem fraternitatis
doctrina et moribus commendavit.
Per Christum.

Die 12 Iulii

S. IOANNIS GUALBERTI, abbatis

Ant. ad introitum Ps 15, 5-6

Dominus pars hereditatis meae et calicis mei; tu es qui restitues hereditatem meam mihi. Funes ceciderunt mihi in praeclaris; etenim hereditas mea praeclara est mihi.

Collecta

Deus, auctor pacis et amator,
quem nosse vivere, cui servire regnare est,

nos in tua, quaesumus, caritate confirma,
ut, beati Ioannis abbatis exemplo,
reddentes bonum pro malo et benedictionem pro maledicto,
veniam a te consequamur et pacem.
Per Dominum.

Lectio prior

De feria vel: lectio libri Levitici 19, 1-2. 17-18

Psalmus responsorius Ps 14, 2-3ab. 3cd-4ab. 5 (℟.: 1a)

℟. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?

2. Qui ingreditur sine macula, et operatur iustitiam;
3. qui loquitur veritatem in corde suo,
qui non egit dolum in lingua sua. ℟.

Nec fecit proximo suo malum,
et opprobrium non intulit proximo suo.
4. Ad nihilium reputatus est in conspectu eius malignus,
timentes autem Dominum glorificat. ℟.

5. Qui pecuniam suam non dedit ad usuram,
et munera super innocentem non accepit.
Qui facit haec, non movebitur in aeternum. ℟.

Alleluia et versus ante evangelium Io 13, 34

(℟. Alleluia). ℣. Mandatum novum do vobis, dicit Dominus,
ut diligatis invicem, sicut dilexi vos (℟. Alleluia).

Evangelium

De feria vel: secundum Matthaeum 5, 43-48

Super oblata

Accepta tbi sint, quaesumus, Domine,
munera nostrae servitutis
pro beati Ioannis commemoratione altari tuo proposita,
et concede, ut, a terrenis impedimentis absoluti,
te solo divites efficiamur.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 33, 9

Gustate et videte quoniam suavis est Dominus:
beatus vir, qui sperat in eo.

Post communionem

Per huius virtutem sacramenti, quaesumus, Domine,
beati Ioannis exemplo,
deduc nos iugiter in tua dilectione,
et opus bonum quod coepisti in nobis
perfice usque in diem Christi Iesu.
Qui vivit.

Die 29 Iulii

Ss. MARTHAE, MARIAE ET LAZARI, HOSPITUM DOMINI MEMORIA

Ant. ad introitum Lc 10, 38

Intravit Iesus in quoddam castellum, et mulier quaedam
Martha nomine excepit illum in domum suam.

Collecta

Deus, qui Filio tuo in Bethaniae domo dilectionem amici,
ministrantis sedulitatem, audientis diligentiam comparasti,
da nos eidem Magistro et meditationis ardore
et operibus semper caritatis haerere,
ut oculis suis acceptabiles
in suae nos tandem domum beatitudinis introducat.
Qui tecum.

Alia

Deus, cuius Filius
de sepulcro ad vitam Lazarum revocavit,
et in domo Marthae dignatus est hospitari,
da nobis, quaesumus,
ut, ipsi in fratribus nostris fideliter ministrantes,
cum Maria verbi eius meditatione pasci mereamur.
Qu tecum.

Lectio prior

Lectio libri Genesis 18,1-10a

In diebus illis:

Apparuit Abrahae Dominus in convalle Mambre, sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei. Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum; quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, et adoravit in terram.

Et dixit: « Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum; sed afferam pauxillum aquae, et lavate pedes vestros, et requiescite sub arbore. Ponamque buccellam panis et confortate cor vestrum; postea transibitis; idcirco enim declinastis ad servum vestrum ». Qui dixerunt: « Fac ut locutus es ».

Festinavit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: « Accelera, tria sata similae commisce, et fac subcinercios panes ». Tulit quoque butyrum et lac et vitulum, quem coxerat, et posuit coram eis; ipse vero stabit iuxta eos sub arbore.

Psalmus responsorius Ps 83, 2-4. 5-6. 11. 12-13 (℟. Lc 11, 28)

℟. Beati qui audiunt Verbum Dei et custodiunt.

2. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum.
3. Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.
Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum.
4. Etenim passer invenit sibi domum.
et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos:
altaria tua, Domine virtutum,
rex meus et Deus meus. ℟.
5. Beati qui habitant in domo tua,
in perpetuum laudabunt te.
6. Beatus vir, cuius est auxilium abs te,
ascensiones in corde suo disposuit.
11. Quia melior est dies una in atriis tuis super milia,
elegi ad limen esse in domo Dei mei
magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. ℟.
12. Quia sol et scutum est Dominus Deus,
gratiam et gloriam dabit Dominus;
non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia.
13. Domine virtutum, beatus homo,
qui sperat in te. ℟.

Alleluia et versus ante evangelium Lc 10, 42

(℟. Alleluia). ℣. Maria optimam partem elegit,
quae non auferetur ab ea.

Evangelium

✠ Lectio sancti evangelii secundum Lucam 10, 38-42

In illo tempore:

Intravit Iesus in quoddam castellum; et mulier quaedam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et huic erat soror nomine Maria, quae etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius.

Martha autem satagebat circa frequens ministerium; quae stetit et ait: « Domine, non est tibi curae, quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi ut me adiuvet ».

Et respondens dixit illi Dominus: « Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium: Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea ».

Vel:

Alleluia et versus ante evangelium Io 11, 19-27

(℟. Alleluia). ℣. Tu es Christus Filius Dei vivi,
qui in hunc mundum venisti. (℟. Alleluia).

Vel:

Alleluia et versus ante evangelium Io 8, 12b

(℟. Alleluia). ℣. Ego sum lux mundi, dicit Dominus;
qui sequitur me, habebit lumen vitae. (℟. Alleluia).

Evangelium: secundum Ioannem 11, 19-27
In illo tempore: Multi ex Iudaeis venerant ad Martham...

Vel:

Alleluia et versus ante evangelium Io 11, 5

(℟. Alleluia). ℣. Diligebat Iesus Martham et sororem eius Mariam, et Lazarum. (℟. Alleluia).

Evangelium: secundum Ioannem 12, 1-11
Iesus ante sex dies Paschae...

Super oblata

In sanctis tuis, te Domine, mirabilem praedicantes,
maiestatem tuam suppliciter exoramus,
ut sicut eorum tibi gratum exstitit caritatis obsequium,
sic nostrae servitutis accepta reddantur officia.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ap 3, 20

Ecce sto ad ostium et pulso:
Si quis audierit vocem meam et aperuerit ianuam,
introibo ad illum et cenabo cum illo, et ipse mecum.

Post communionem

Corporis et sanguinis Unigeniti tui sacra perceptio, Domine,
ab omnibus nos caducis rebus avertat,
ut exemplo sanctorum tuorum Lazari, Marthae et Mariae
valeamus tibi et sincera in terris caritate proficere,
et tui perpetua in caelis visione gaudere.
Per Christum.

Die 19 Augusti

S. BERNARDI TOLOMEI, abbatis

Ant. ad introitum Ier 3, 15

Dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scentia et doctrina.

Vel Dan 3, 84. 87

Sacerdotes Dei, benedicite Dominum; sancti et humiles corde, laudate Deum.

Collecta

Deus, qui Ecclesiam tuam per beatum Bernardum abbatem
nova religionis institutione ditasti,
concede, quaesumus,
ut, eius exemplo et auxilio roborati,
ad ea pervenire mereamur
quae tuis sunt fidelibus praeparata.
Per Dominum.

Lectio prior

De feria vel: ex epistola beati Pauli apostoli ad Corinthios 1, 26-31

Psalmus responsorius Ps 15, 1-2 et 5. 7-8. 9 et 11 (℟. 5a)

℟. Tu es, Domine, pars hereditatis meae.

1. Conserva me, Deus, quoniam speravi in te.
2. Dixi Domino: « Dominus meus es tu,
bonum mihi non est sine te ».
5. Dominus pars hereditatis meae et calicis mei:
tu es qui detines sortem meam. ℟.
7. Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum;
insuper et in noctibus erudierunt me renes mei.
8. Proponebam Dominum in conspectu meo semper,
quoniam a dextris est mihi, non commovebor. ℟.

9. Propter hoc laetatum est cor meum,
et exsultaverunt praecordia mea;
insuper et caro mea requiescet in spe.
11. Notas mihi facies vias vitae,
plenitudinem laetitiae cum vultu tuo,
delectationes in dextera tua usque in finem. ℟.

Alleluia et versus ante evangelium Mt 5, 8

(℟. Alleluia). ℣. Beati mundo corde,
quoniam ipsi Deum videbunt. (℟. Alleluia).

Evangelium

De feria vel: secundum Lucam 12, 32-34

Super oblata

Suscipe, quaesumus, Domine, hoc sacrificium populi tui,
ut, quod tibi in honore beati Bernardi offertur ad gloriam,
nobis tribuas ad salutem perpetuam.
Per Christum.

Ant. ad communionem Mt 20, 28

Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare,
et dare animam suam redemptionem pro multis.

Post communionem

Sumpsimus, Domine, sancti tui Bernardi memoriam celebrantes,
sacramenta caelestia:
praesta, quaesumus, ut quod temporaliter gerimus,
aeternis gaudiis consequamur.
Per Christum.

(Vel: Missa 4 de Communi sanctorum: MR 716)

SEPTEMBER

Die 17 Septembris

S. HILDEGARDIS. virginis

Ant. ad introitum

Gaudeamus et exsultemus, quia Dominus omnium dilexit
virginem sanctam atque gloriosam.

Collecta

Deus, qui beatam Hildegardem virginem
ad contmeplandam tuae claritatem maiestatis
amoris tui desideriis accendisti,
ipsa intercedente concede propitius,
ut, spiritalis eruditionis bonaeque conversationis incrementa
percipere valeamus.
Per Dominum.

Lectio prior

De feria vel: ex epistola prima beati Pauli apostoli ad Corinthios
2, 10b-16

Psalmus responsorius Ps 26, 1.4.5. 8b-9ab. 9cd et 11 (℟. 8b)

℟. Faciem tuam, Domine, requiram.

1. Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?
Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo? ℟.

4. Unum petii a Domino, hoc requiram:
ut inhabitem in domo Domini
omnibus diebus vitae meae,
ut videam voluptatem Domini
et visitem templum eius. ℟.

5. Quoniam occultabit me in tentorio suo,
in die malorum.
Abscondet me in abscondito tabernaculi sui,
in petra exaltabit me. ℟.

8. Faciem tuam, Domine, requiram.
9. Ne avertas faciem tuam a me,
ne declines in ira a servo tuo. ℟.

Adiutor meus es tu, ne me reicias,
neque derelinquas me, Deus salutis meae.
Ostende mihi, Domine, viam tuam
et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos. ℟.

Alleluia et versus ante evangelium Cf. Mt 11, 25

(℟. Alleluia). ℣. Benedictus es, Pater, Domine caeli et terrae,
quia mysteria regni parvulis revelasti. (℟. Alleluia).

Evangelium

De feria vel: secundum Matthaeum 13, 10-17

Super oblata

Dicatae, quaesumus, Domine, capiamus oblationis effectum,
ut, beatae Hildegardis exemplo,
terrenae vetustatis conversatione mundati,
caelestis vitae profectibus innovemur.
Per Christum.

Ant. ad communionem Mt 25, 4.6

Quinque prudentes virgines acceperunt oleum
in vasis suis cum lampadibus.
Media autem nocte clamor factus est:
Ecce sponsus venit, exite obviam Christo Domino.

Post communionem

Corporis et Sanguinis Unigeniti tui sacra perceptio, Domine,
ab omnibus nos caducis rebus avertat,
ut exemplo beatae Hildegardis valeamus
tui et sincera in terris caritate proficere,
et perpetua in caelis visione gaudere.
Per Christum.

NOVEMBER

Die 7 Novembris

S. WILLIBRORDI, episcopi

Ant. ad introitum Ez 34, 11. 23-24

Visitabo oves meas, dicit Dominus, et suscitabo pastorem qui pascat eas: ego autem Dominus ero eis in Deum.

Collecta

Deus, qui beato Willibrordo episcopo
peregrinari pro Christo
ad praedicandum Evangelium inspirasti,
da, nobis, eius intercessione,
in fidei stabilitate consistere,
et in spe Evangelii fortiter permanere.
Per Dominum.

Lectio prior

De feria vel: ex epistola prima beati Pauli apostoli ad Corinthios
9, 16-19. 22-23

Psalmus responsorius Ps 95, 1-2a. 2b-3. 9-10a. 11-12 (℟: cf. 3)

℟. Annuntiate in omnibus populis mirabilia Dei.

1. Cantate Domino canticum novum,
cantate Domino, omnis terra.
2. Cantate Domino, benedicite nomini eius. ℟.

Annuntiate de die in diem salutare eius.
3. Annuntiate inter gentes gloriam eius,
in omnibus populis mirabilia eius. ℟.

9. Adorate Dominum in splendore sancto.
Contremiscite a facie eius, universa terra,
10. dicite in gentibus: « Dominus regnativt ». ℟.

11. Laetentur caeli et exsultet terra,
sonet mare et plenitudo eius;
12. gaudebunt campi et omnia quae in eis sunt.
Tunc exsultabunt omnia ligna silvarum. ℟.

Alleluia et versus ante evangelium Mt 28, 19a-20b

(℟. Alleluia). ℣. Euntes, docete omnes gentes, dicit Dominus;
ego vobiscum sum omnibus diebus
usque ad consummationem saeculi (℟. Alleluia).

Evangelium

De feria vel: secundum Matthaeum 28, 16-20

Super oblata

Hostias, quaesumus, Domine,
quas in festivitate beati Willibrordi
sacris altaribus exhibemus, propitius respice,
ut, nobis indulgentiam largiendo,
tuo nomini dent honorem.
Per Christum.

Ant. ad communionem Io 15, 16

Non vos me elegistis, dicit Dominus;
sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis,
et fructus vester maneat.

Post communionem

Refecti sacris mysteriis, Domine, humiliter deprecamur,
ut, beati Willibrordi exemplo, studeamus confiteri quod credidit,
et opere exercere quod docuit.
Per Christum.

(Vel Missa 7 pro religiosis: de Communi sanctorum, MR 719)

Die 12 Novembris

S. THEODORI STUDITAE, abbatis

Ant. ad introitum Ps 15, 5-6

Dominus pars hereditatis meae et calicis mei;
tu es qui restitues hereditatem meam mihi.
Funes ceciderunt mihi in praeclaris;
etenim hereditas mea praeclara est mihi.

Collecta

Deus, qui per beatum Theodorum abbatem
coenobiticae vitae disciplinam et decus confirmasti,
concede nobis, quaesumus,
eius exemplo et auxilio,
ut, passionibus Christi per patientiam configurati,
regni eius mereamur esse consortes.
Qui tecum.

Lectio prior

De feria vel: ex epistola secunda beati Pauli apostoli ad Corinthios
4, 6-15

Psalmus responsorius Ps 33, 2-3. 4-5. 6-7. 10-11. 20-21 (℟. 12)

℟. Benedicam Dominum in omni tempore.

2. Benedicam Dominum in omni tempore,
semper laus eius in ore meo.
3. In Domino gloriabitur anima mea,
audiant mansueti et laetentur. ℟.
4. Magnificate Dominum mecum,
et exaltemus nomen eius in idipsum.
5. Exquisivi Dominum, et exaudivit me,
et ex omnibus terroribus meis eripuit me. ℟
6. Respicite ad eum, et illuminamini,
et facies vestrae non confundentur.
7. Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum,
et de omnibus tribulationibus eius salvavit eum. ℟.
10. Timete Dominum sancti eius,
quoniam non est inopia timentibus eum.
11. Divites eguerunt et esurierunt,
inquirentes autem Dominum non deficient omni bono. ℟.
20. Multae tribulationes iustorum.
et de omnibus his liberabit eos Dominus.
21. Custodit omnia ossa eorum,
unum ex his non conteretur. ℟.

Alleluia et versus ante evangelium Io 14, 23

(℟. Alleluia) ℣. Si quis diligit me, sermonem meum servabit,
et Pater meus diliget eum,
et ad eum veniemus. (℟. Alleluia).

Evangelium

De feria vel: secundum Ioannem 15, 1-8

Super oblata

Clementissime Deus, qui, vetere homine consumpto,
novum secundum te in beato Theodoro creare dignatus es,
concede propitius, ut nos pariter renovati
hanc placationis hostiam tibi acceptabilem offeramus.
Per Christum.

Ant. ad communionem Cf. Mt 19, 27-29

Amen dico vobis quod vos qui reliquistis omnia,
et secuti estis me, centuplum accipietis,
et vitam aeternam possidebitis.

Post communionem

Quaesumus, omnipotens Deus,
ut, qui huius sacramenti munimur virtute,
exemplo beati Theodori discamus te super omnia semper inquirere,
et novi hominis formam in hoc saeculo portare.
Per Christum.

Die 19 Novembris

S. MECHTILDIS, virginis

Ant. ad introitum

Haec est virgo sapiens, et una de numero prudentum,
quae obviam Christo cum lampade accensa exiit.

Collecta

Deus, qui pietatis tuae gratia
supernae claritates dispositionis beatae Mechtildi virgini
revelasti, praesta, quaesumus,
ut, quod iam fidei veritate cognoscimus,
in caelesti visione, revelata facie, perfruamur.
Per Dominum.

Lectio prior

De feria vel: lectio libri Siracidae 51, 18-28

Psalmus responsorius Ps 62, 2abc-2d. 4. 5-6. 7-9. (℟. 2b)

℟. Sitivit in te anima mea, Deus meus.

2. Deus, Deus meus es tu, ad te de luce vigilo.
Sitivit in te anima mea, te desideravit caro mea.
In terra deserta et arida et inaquosa. ℟.

4. Quoniam melior est misericordia tua super vitas,
labia mea laudabunt te. ℟.

5. Sic benedicam te in vita mea,
et in nomine tuo ledicam te in vita mea.
6. Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea,
et labiis exsultationis laudabit os meum. ℟.

7. Cum memor ero tui super stratum meum,
in matutinis meditabor de te,
8. quia fuisti adiutor meus,
et in velamento alarum tuarum exsultabo.
9. Adhaesit anima mea post te.
me suscepit dextera tua. ℟.

Alleluia et versus ante evangelium Cf. Mt 11, 25

(℟. Alleluia) ℣. Benedictus es, Pater, Domini caeli et terrae,
quia mysteria regni parvulis revelasti. (℟. Alleluia)

Evangelium

De feria vel: secundum Matthaeum 25, 1-13

Super oblata

In beata virgine Mechtilde te, Domine, mirabilem praedicantes,
maiestatem tuam suppliciter exoramus,
ut, sicut eius tibi grata sunt merita,
sic nostrae servitutis accepta reddantur officia.
Per Christum.

Ant. ad communionem Mt 25, 6

Ecce Sponsus venit: exite obviam Christo Domino.

Post communionem

Divini muneris participatione refecti,
quaesumus, Domine Deus noster,
ut exemplo beatae Mechtildis
mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes,
tibi soli adhaerere studeamus.
Per Christum.

(Vel Missa 7 pro religiosis De Communi sanctorum et sanctarum MR 719)

Die 26 Novembris

S. SILVESTRI, abbatis

Ant. ad introitum Ier 3, 15

Dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina.

Vel: Dan 3, 84. 87

Sacerdotes Dei, benedicite Dominum; sancti et humiles corde, laudate Deum.

Collecta

Deus, qui beato Silvestro abbati
dulcis solitudinis et operosae vitae coenobialis studium tribuisti,
da nobis, quaesumus,

sincera semper mente te quaerere,
et in humili caritate ad aeterna tabernacula festinare.
Per Dominum.

Lectio prior

De feria vel: ex epistola beati Pauli apostoli ad Romanos 8, 26-30

Psalmus responsorius Ps 23, 1-2. 3-4ab. 5-6 (℟. Cf 6)

℟. Haec est generatio quaerentium faciem tuam, Domine.

1. Domini est terra et plenitudo eius,
orbis terrarum et qui habitant in eo.
3. Quis ascendet in montem Domini,
aut quis stabit in loco sancto eius?
4. Innocens manibus et mundo corde,
qui non accepit in vanum nomen eius. ℟
5. Hic accipiet benedictionem a Domino,
et iustificationem a Deo salutari suo.
6. Haec est generatio quaerentium eum,
quaerentium faciem Dei Iacob. ℟.

Alleluia et versus ante evangelium Ps 132, 1

(℟. Alleluia). ℣. Ecce quam bonum et quam iucundum
habitare fratres in unum. (℟. Alleluia).

Evangelium

De feria vel: secundum Matthaeum 13, 44-46.

Super oblata

Suscipe, quaesumus, Domine, hoc sacrificium populi tui,
ut, quod tibi in honore beati Silvestri offertur ad gloriam,
nobis tribuas ad salutem perpetuam.
Per Christum.

Ant. ad communionem Mt 20, 28

Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare,
et dare animam suam redemptionem pro multis.

Post communionem

Sumpsimus, Domine, sancti tui Silvestri memoriam celebrantes,
sacramenta caelestia,
praesta, quaesumus,
ut quod temporaliter gerimus,
aeternis gaudiis consequamur.
Per Christum.

(Vel: Missa 1 de Communi Sanctorum et Sanctarum MR 713)

DECEMBER

Die 5 Decembris

S. SABBAE, abbatis

Ant. ad introitum Ps 91, 13-14

Iustus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur; plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.

Collecta

Deus, qui beatum Sabbam monasticae vitae fautorem insignem
rectaeque assertorem fidei providisti,
da nobis in caritate semper facere veritatem
ac tibi soli in gaudia servire perpetua.
Per dominum.

Lectio prior

De feria vel: lectio libri primi Regum 19, 4-9a. 11-15a

Psalmus responsorius Ps 14, 1-2. 3-4b. 4c-5 (℟. 1b)

℟. Iustus requiescet in monte sancto tuo, Domine.

1. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo:
Quis requiescet in monte sancto tuo?
2. Qui ingreditur sine macula, et operatur iustitiam;
qui loquitur veritatem in corde suo. ℟.

3. Qui non egit dolum in lingua sua,
nec fecit proximo suo malum
et opprobrium non intulit proximo suo.
4. Ad nihilum reputatus est in conspectu eius malignus,
timentes autem Dominum glorificat. ℟.

Qui iurat in detrimentum suum et non mutat,
5. qui pecuniam suam non dedit in usuram
et munera super innocentem non accepit.
Qui facit haec, non movebitur in aeternum. ℟.

Alleluia et versus ante evangelium Gal 6, 14

(℟. Alleluia) ℣. Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini,
per quem mihi mundus crucifixus est,
et ego mundo. (℟. Alleluia)

Evangelium

De feria vel: secundum Lucam 14, 25-33

Super oblata

Hostias ad altare tuum offerentibus, Domine,
da nobis illum pietatis affectum, quem beato Sabbae infudisti,
ut pura mente ac fervido corde rei sacrae attendamus,
et sacrificium tibi placitum nobisque proficuum celebremus.
Per Christum.

Ant. ad communionem Mt 11, 28

Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis,
et ego reficiam vos, dicit Dominus.

Post communionem

Sacramentorum tuorum, Domine,
communio sumpta nos salvet,
et in tuae veritatis luce confirmet.
Per Christum.

(Vel Missa 4 de Communi Sanctorum et Sanctarum MR 716)

COMMUNE SANCTORUM MONACHORUM ET MONIALIUM

Textus huius Communis assumi possunt in toto vel in parte loco textuum qui in Proprio totius Confoederationis et in Propriis particularibus Congregationum vel Monasteriorum referentur pro Abbatibus, monachis et monialibus.

Ant. ad introitum Ps 15, 5-6

Dominus, pars hereditatis meae et calicis mei;
tu es qui restitues hereditatem meam mihi.
Funes ceciderunt in praeclaris;
etenim hereditas mea praeclara est mihi.

Collecta

Deus, cuius munere beatus N. omnia sua dereliquit,
ut Christum pauperem sequi et humilem corde
usque in finem perseveraret imitari,
tribue, quaesumus, eius intercessione,
ut opus evangelicae conversionis, quod in nobis coepisti,
ipse perficias usque in diem Christi Iesu.
Qui tecum.

1. Pro monachis et monialibus

Extra tempus paschale

Lectio prior

Lectio libri primi Regum 19, 4-9a. 11-15a.

In diebus illis:

Perrexit Elias in desertum viam unius diei. Cumque venisset et sederet subter unam iuniperum, petivit animae suae ut moreretur et ait: « Sufficit mihi, Domine: tolle animam meam, neque enim melior sum quam patres mei ». Proiecitque se et obdormivit in umbra iuniperi.

Et ecce angelus Domini tetigit eum, et dixit illi: « Surge et comede ». Respexit, et ecce ad caput suum subcinericius panis et vas aquae; comedit et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb.

Cumque venisset illuc, mansit in spelunca. Et ecce sermo Domini ad eum, et ait ei: « Egredere, et sta in monte coram Domino ». Et ecce Dominus transit.

Et spiritus grandis et fortis subvertens montes et conterens petras ante Dominum; non in spiritu Dominus. Et post spiritum, commotio; non in commotione Dominus. Et post commotionem, in igne Dominus. Et post ignem, sibilus aurae tenuis.
ignis; non in igne Dominus. Et post commotionem, ignis; non

Quod cum audisset Elias, operuit vultum suum pallio, et egressus stetit in ostio speluncae; et ecce vox ad eum dicens: « Quid hic agis, Elia? ».

Et ille respondit: « Zelo sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel, altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio: derelictus sum ego solus, et quaerunt animam meam ut auferant eam. »

Et ait Dominus ad eum: Vade, et revertere in viam tuam per desertum in Damascum.

Tempore paschali

Lectio prior

Lectio Actuum Apostolorum 4, 32-35

In diebus illis:

Multitudinis credentium erat cor unum et anima una; nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia.

Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri, et gratia magna erat in omnibus illis.

Neque enim quisquam egens erat inter illos; quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quae vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum; dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat.

Psalmus responsorius Ps 14, 2-3ab. 3cd-4ab. 5 (℟.: 1b)

℟. Iustus requiescet in monte sancto tuo, Domine.

2. Qui ingreditur sine macula, et operatur iustitiam;
3. qui loquitur veritatem in corde suo,
qui non egit dolum in lingua sua. ℟.

Nec fecit proximo suo malum,
et opprobrium non intulit proximo suo.
4. Ad nihilum reputatus est in conspectu eius malignus,
timentes autem Dominum glorificat. ℟.

5. Qui pecuniam suam non dedit ad usuram,
et munera super innocentem non accepit.
Qui facit haec, non movebitur in aeternum. ℟.

Lectio secunda

Lectio epistolae beati Pauli apostoli ad Romanos 8, 26-30

Fratres,

Spiritus adiuvat infirmitatem nostram; nam quod oremus sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus interpellat gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda scit quid desideret Spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis.

Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti.

Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii eius, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus; Quos autem praedestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et iustificavit; quos autem iustificavit, illos et glorificavit.

Alleluia et versus ante evangelium Mt 5, 8.

(℟. Alleluia). ℣. Beati mundo corde,
quoniam ipsi Deum videbunt. (℟. Alleluia)

Vel:

(℟. Alleluia) ℣. Beati pacifici,
quoniam filii Dei vocabuntur. (℟. Alleluia)

Evangelium

✠ Lectio sancti evangelii secundum Matthaeum 19, 16-21

In illo tempore:

Ecce unus accedens, ait ad Iesum: « Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam aeternam? ».

Qui dixit ei: « Qui me interrogas de bono? Unus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandat ».

Dicit illi: « Quae? ».

Iesus autem dixit: « Non homicidum facies, non adulterabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices, honora patrem tuum et matrem tuam, et diliges proximum tuum sicut teipsum ».

Dicit illi adulescens: « Omnia haec custodivi a iuventute mea; quid adhuc deest? ».

Ait illi Iesus: « Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo; et veni, sequere me ».

2. Pro virginibus

Extra tempus paschale

Lectio prior

Lectio libri Osee prophetae 2, 14. 15-16. 17b. 19-20. 21-22

Haec dicit Dominus:

« Ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius; et canet ibi iuxta dies iuventutis suae et iuxta dies ascensionis suae de terra Aegypti.

Et erit in die illa, ait Dominus, vocabit me: « Vir meus », et non vocabit me ultra: « Baali ». Et non recordabitur ultra nominis eorum.

Et sponsabo te mihi in sempiternum; et sponsabo te mihi in iustitia et iudicio, et in misericordia, et in miserationibus, et sponsabo te mihi in fide, et scies quia ego Dominus ».

Et erit in die illa: Exaudiam, dicit Dominus, exaudiam caelos, et illi exaudient terram; et terra exaudiet triticum et vinum et oleum, et haec exaudient Iesrahel.

Tempore paschali

Lectio prior

Lectio libri Apocalypsis beati Ioannis apostoli 21, 1-5a

Ego, Ioannes, vidi caelum novum et terram novam. Primum enim caelum et prima terra abiit, et mare iam non est.

Et ego, Ioannes, vidi sanctam civitatem, Ierusalem novam, descendentem de caelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo. Et audivi vocem magnam de throno dicentem: « Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis; et ipsi populi eius erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Et absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra; quia prima abierunt ».

Et dixit qui sedebat in throno: « Ecce nova facio omnia ». Et dixit mihi: « Scribe, quia haec verba fidelissima sunt et vera ».

Psalmus responsorius Ps 44, 11-12. 14-15. 16-17 (℟.: 11a)

℟. Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam.

11. Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam,
et obliviscere populum tuum et domum patris tui;
12. et concupiscet rex speciem tuam.
Quoniam ipse est dominus tuus, et adora eum. ℟.

14. Gloriosa nimis filia regis intrinsecus;
texturis aureis circumamicta.
15. In vestibus variegatis adducetur regi;
virgines post eam, proximae eius, afferuntur tibi. ℟.

16. Afferuntur in laetitia et exsultatione,
adducuntur in domum regis.
17. Pro patribus tuis erunt tibi filii;
constitues eos principes super omnem terram. ℟.

Lectio secunda

Lectio Epistolae secundae beati Pauli apostoli ad Corinthios
5, 14-17

Fratres:

Caritas Christi urget nos; aestimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; et pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt iam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.

Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem; et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non novimus. Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt: ecce facta sunt omnia nova.

Alleluia et versus ante evangelium

(℟. Alleluia) ℣. Haec est virgo sapiens,
quam Dominus vigilantem invenit;
veniente Domino, intravit cum eo ad nuptias.
(℟. Alleluia)

Evangelium

✠ Lectio sancti evangelii secundum Matthaeum 25, 1-13

In illo tempore:

Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: « Simile erit regnum caelorum decem virginibus, quae accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsae. Quincque autem ex eis erant fatuae et quinque prudentes; sed quinque fatuae, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum; prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampidabus. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt.

Media autem nocte clamor factus est: « Ecce sponsus venit, exite obviam ei ». Tunc surrexerunt omnes virgines illae, et ornaverunt lampades suas.

Fatuae autem sapientibus dixerunt: « Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostrae exstinguuntur ».

Responderunt prudentes dicentes: « Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes et emite vobis ». Dum aute mirent emere venit sponsus, et quae paratae erant intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est ianua.

Novissime vero veniunt et reliquae virgines dicentes: « Domine, Domine, aperi nobis ».

At ille respondens ait: « Amen dico vobis nescio vos ». Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam ».

Super oblata

Ad altare tuum accedentibus, Domine,
da nobis eum pietatis affectum,
quo beatus N. exarsit,
ut corde mundi et caritate ferventes,
tibi sacrificium offerre valeamus.
Per Christum.

Praefatio

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habemus ad Dominum.
℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere:
Domine, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus;

In Sanctis enim, qui Christo se dedicaverunt
propter regnum caelorum,
tuam decet providentiam celebrare mirabilem,
qua humanam substantiam
et ad primae originis revocas sanctitatem,
et ad experienda dona,
quae in novo saeculo sunt habenda, perducis.

Et ideo, cum Sanctis et Angelis universis,
te collaudamus, sine fine dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt caeli et terra gloria tua.
Hosanna in excelsis.
Benedictus qui venit in nomine Domini.
Hosanna in excelsis.

Ant. ad communionem Mt 25, 6

Ecce sponsus venit: exite obviam Christo Domino.

Vel: Lc 12, 37

Beati servi illi quos cum venerit Dominus invenerit vigilantes; amen dico vobis, quod praecinget se et faciet illos discumbere et transiens ministrabit illis.

Post communionem

Huius quod sumpsimus, Domine, virtute sacramenti,
renova corda nostra;
ut exemplo beati N., quae sursum sunt,
non quae super terram, sapientes,
cum Christo in gloria mereamur apparere.
Per Christum.

Corrigenda

p.6

21. TRANSITUS SANCTI BENEDICTI, ABBATIS

p.7

Dominica I post Pentecosten
SANCTISSIMAE TRINITATIS SOLLEMNITAS

p.7

21. S. Aloisii Gonzaga, religiosi.
22. Ss. Ioannis Fisher, episcopi et Thomae More, martyrum.

p.9

22. Beatae Mariae Virginis Reginae.
25. S. Ioseph Calasanz, presbyteri.

2. Ss. Angelorum Custodum.

p.10

24. S. Clementis I, papae et martyris <u>delenda</u>

p.26

Versus ante evangelium Io 8,31b-32
sine <u>Alleluia</u>

p.33 Collecta: <u>lege</u>: Pacomium

p.51

Collecta: <u>lege</u>: ad contemplandam

INDEX ALPHABETICUS CELEBRATIONUM